

Gallæi, ac novi cœlestis regni præcones et doctores; idcirco ut se ab illa alienum Christus ostenderet, solvit hic didrachma, illudque Cæsari solvendum edixit, cap. XIII, 21. Vide dicta Act. v, 36. Ita S. Hieronymus, Beda, Jansenius, Maldonatus et alii. Exactores ergo hi tributi non ausi interpellare Christum ob sanctitatis doctrinæ et miraculorum famam, seorsim rogant Petrum, dicuntque : « Magister vester non solvit, » id est non solet solvere, « didrachma? » An ex aliquo principis privilegio, sive aliquo alio exemptionis titulo non obligat solvere tributum, quod quotannis virilim singuli solvunt Romanis eo loco quem quisque incolit? uti Christus hic incolebat Capharnaum, ideoque ibidem hoc tributum ab eo exigunt.

ATT : ETIAM. — Petrus annuit, et ex consuetudine Christi, quam viderat precedentibus annis, respondet omnino Christum solere solvere hoc tributum.

ET CUM INTRASSET IN DOMUM (a Christo Capharnaum conductam, ut c. xi cap. iv, 13), PREVENIT EUM JESUS DICENS : QUID TIBI VIDETUR, SIMON? REGES TERRÆ, A QUIBUS ACCIPIUNT TRIBUTUM VEL CENSUM, A FILIIS SUIS, AN AB ALIENIS? — Id est ab aliis subditis, qui non sunt filii : alienos enim opponit filiis. Ita Chrysostomus.

26. ET ILLE DIXIT : AB ALIENIS. DIXIT ILLI JESUS : ERGO LIBERI SUNT FILII. — Cum Petrus vellet domi seorsim referre Christo quæsitum exactorum de tributo, Christus arcani ejus cum ipsis colloquii conscius, utpote qui in spiritu jam illud viderat et audierat, prævenit, id est prior eum hac de re interrogavit, ostenditque se non obligari ad hoc tributum, alique : « reges terræ, » etc. Est argumentum a minori ad majus, uti docet S. Chrysostomus, q. d. Regum filii cum sua familia jure communi immunes sunt a tributo per regem indicto : ergo multo magis ego cum meis Apostolis meaque familia; ego, inquam, qui Regis regum, id est Dei ipsius naturalis et unigenitus sum Filius, immunis sum ab omni omnino tributo, quod reges terræ suis subditis inducunt. Ita S. Hieronymus, S. Chrysostomus et alii. Et sic intellige S. Augustinum, lib. I *Quæst. Evang.*, cap. XIII. quare ex hac Christi ratiocinatione, non recte colligunt nonnulli Canonistæ,

Christiani
sunt im-
munes ab
omni tri-
butu.

jure divino, Clericos esse immunes et liberos ab omni tributo. Pari enim ratione colligeretur, ab eodem immunes esse omnes Christianos, uti volunt Anabaptistæ, Christiani enim sunt filii Dei adoptivi, renati in baptismo per gratiam; quod tamen falsum esse docet Apostolus, *Rom.* xiii, 7, et tota Ecclesia; nam hæc adoptio altioris est hereditatis et ordinis, scilicet cœlestis, non terreni. Ita S. Hilarius, Chrysostomus, Euthymius et alii. Recte tamen et apposite ad hoc Christi dictum, reges et principes a tributo exemptum Ecclesiasticos, qui sunt quasi de domo et familia Christi. Et hoc tantum vult hic S. Hieronymus et Canones, dum dicunt Clericos, non tantum jure humano, sed et divino exemptos esse a tributo; quia scilicet jus divinum dicitur hanc exemptionem a principibus esse concedendam. Vide Lessium, *De Justitia*, lib. II, cap. XXXIII, dubio 4, ubi ostendit exemptionem Clericorum a tributo esse juris, non divini, sed humani.

27. UT AUTEM NON SCANDALIZEMUS EOS, VADE AD MARE, ET MITTE HAMUM; ET EUM PISCEM QUI PRIMUM ASCENDERIT, TOLLE, ET APERTO ORE EIUS INVENIES STATEREM; ILLUM SUMENS, DA EIS PRO ME ET TE. — q. d. Ne exactores offendantur, putesque nos Tiberium Cæsarem Romanum, quasi Gentilem aspernari, ejusque imperium ac tributum abnuere, itaque Judæos ad illi rebellandum concitare, uti fecit Judas Gallæus, vade, piscare, et staterem, quem in ore primi piscis invenies, tolle, eumque pro me et te publicanis persolve. Stater Græce idem est, quod Hebr. *siclus*, scilicet pondus; olim enim pecunia non consignata stato pondere appendebatur et solvebatur. Porro, siclus erat tetradrachmus, id est ponderabat quatuor drachmas, id est quatuor regales Hispanicos sive quatuor Julios Italicos. Siclus ergo argenteus idem erat, quod florenus Brabanticus.

Nota : Christus hic eleuit actum hereticum justitiæ, æque ac humilitatis et obedientiæ, dum solvit principi tributum, a quo jure nature et divino erat exemptus, ut doceret Christianismum a se institutum non esse contrarium politię et regimini politico, sed potius illud juvare eique obsecundare.

ASCENDERIT, — ad escam hami inescatus, q. d. Quem primum hamo attraxeris. Curaverat enim Christus per Angelos poni hunc staterem in ore piscis, ut in eo ipsum Petrus piscans reperiret.

ILLUM SUMENS, DA EIS PRO ME ET TE. — Quæres, cur Christus pro se solo et Petro solvit hoc tributum? Respondetur. Quia illud, ut dixi, virilim, sive ut Syrus habet, *capitatum*, solvendum erat a singulis, non transeuntibus, ut vult Titelmans, sed incolis et civibus. Pro ceteris discipulis non solvit, vel quia, ut vult Lyranus, ad hoc tributum obligabantur solum capita familiarum, non autem singuli de familia; vel quia discipuli Christi pauperes erant : unde Christus eos apud exactores tacite voluit titulo inopiæ esse excusatos, ut vult Franciscus Lucas; vel quia ipsi aliunde erant oriundi, ac jam ante in alias urbes a Christo dimissi ad evangelizandum, non censebantur incolæ Capharnaï, ac proinde ibi pendere tributum non tenebantur. Denique Abulensis, *Quæst.* CC, censet pro singulis Apostolis, qui habebant uxores et liberos, ideoque erant capita familiarum, quales erant plerique, præter Joannem et Jacobum, solutum fuisse didrachma ex communibus loculis, quos portabat Judas, vel ex elemosynis amicorum, idque Mattheum hic præsupponere et præterire, ut rem parvi momenti et notam; narrare vero solum didrachma

Vers. 27.
Christus
pescit
tributum

Anpro-
p. Petrus
solum
tributa?

Christi, quia illud per miraculum invenit in ore piscis, ut ostenderet se ad illud non obligari, nec Cæsari esse subiectum. Pro Petro tamen Christus solvit pro se tributum, tum quia Petrus exactoris hujus, æque ac solutionis erat administrator; tum quia Petrus domum et familiam habebat Capharnaï, ait Abulensis, ut patet *Matthæi* cap. VIII, vers. 3 et 14, et *Luce* cap. IV, vers. 31 et 38; tum honoris causa, ut innumerat ipsum sue familie et Ecclesie vicarium, ac cæcæ totum Apostolorum omnium caput et principem a se designari. Ita S. Chrysostomus, S. Hieronymus, Origenes et alii.

Moraliter : discite hic studium paupertatis in Christo, utpote qui non habet domi vel nummulum ad solvendum tributum, sed illud per miraculum a pisce accipit, ut doceret Deum per pisces cæterasque creaturas pauperibus spiritu providere de necessariis, sicut Eliæ providit de victu per corvum, quasi per miraculum.

Moraliter : discite hic studium paupertatis in Christo, utpote qui non habet domi vel nummulum ad solvendum tributum, sed illud per miraculum a pisce accipit, ut doceret Deum per pisces cæterasque creaturas pauperibus spiritu providere de necessariis, sicut Eliæ providit de victu per corvum, quasi per miraculum.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, docet majores in celo esse eos qui apud se sunt parvuli et humiles. Secundo, vers. 7, docet parvulos non esse scandalizandos, quia Angeli eorum semper vident faciem Dei Patris. Tertio, vers. 12, ad hoc probandum inducit parabolam ovis errantis. Quarto, vers. 15, assignat ordinem servandum in correptione fraterna, ac Apostolis dat potestatem ligandi et solvendi. Quinto, vers. 23, ostendit injurias mutas ex animo esse condonandas per parabolam servi debitoris, a quo debitum decem millium talentorum jam remissum, rursus exactum est, quia ipse conservo suo debitum centum denariorum condonare noluerat.

1. In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis, putas, major est in regno celorum? 2. Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, 3. et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum celorum. 4. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno celorum. 5. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, ac suscipit. 6. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. 7. Væ mundo a scandalis. Necessè est enim ut veniant scandala; verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. 8. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. 9. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te : bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. 10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. 11. Venit enim Filius hominis salvare quod perierat. 12. Quid vobis videtur? si fuerint alieni centum oves, et erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quærere eam quæ erravit? 13. Et si contigerit ut inveniat eam, amen dico vobis, quia gaudet super eam magis quam super nonaginta novem, quæ non erraverunt. 14. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis. 15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripue eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; 16. si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. 17. Quod si non audierit eos, de Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. 18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in celo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in celo. 19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quæcumque petierint,

fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. 20. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. 21. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei; usque septies? 22. Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. 23. Ideo assimilatur est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. 24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatum est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. 25. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venditari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. 26. Procidens autem servus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. 28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios; et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. 29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 30. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. 31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde, et venerunt, et narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant. 32. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me; 33. nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? 34. Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. 35. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remisistis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Ver. 4. Dignissimi Christi discipuli quænam sit in regno cœlorum? Car?

1. IN ILLA HORA (in illo tempore) ACCESSERUNT DISCIPULI AD JESUM, DICENTES: QUIS, PUTAS, MAJOR EST IN REGNO CŒLORUM? — « Accesserunt » videtur repugnare Marcus, cap. ix, vers. 31, ubi ait discipulis in via de hac questione disputasse, deinde domi Christum eos prevenisse ac interrogasse, quid in via tractassent. Respondent S. Chrysostomus et Euthymius, Apostolos sæpe inter se hanc questionem agitasse, ac tandem Christum eos interrogatione jam dicta prevenisse: quare cum ipsi viderent suas cogitationes Christo esse cognitatas et patefactas, ultro rem aperuerunt, et questionem inter se agitatam Christo resolvendam proposuerunt. Occasio questionis fuit varia, sed proxima hæc, quod pro solo Petro Christus didrachma solverit; unde eum sibi prælatum viderunt et inviderunt, ac quisque de se inter primos promovendo sollicitus esse cepit: sic enim in cœlibus, si unus præferatur, cæterorum statim ortu emulatio et ambitio. Ita S. Hieronymus, Origenes Chrysostomus et Euthymius. Audi S. Hieronymum: « Quia viderant per Petro et Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributum Domino fuerat comparatus: ideo interrogant, quis major sit in regno cœlorum? Vidensque Jesus cogitationes eorum et causas erroris intellegens, vult desiderium glorie humilitatis contentione sanare. » Rursus viderant Petrum, Jacobum et Joannem seorsim a Christo abductos in Tabor: dolere ergo, quod et ipsi non fuerant abducti. Denique audierant Christum brevi mo-

riturum, ac post mortem resurrecturum, regnumque glorie sue initurum: mature ergo preoccupant queruntque modum quo in eo primi evadant. Ita Maldonatus.

QUIS, PUTAS, MAJOR EST (SYRUS, *maximus*) IN REGNO CŒLORUM? — Puta in regno Messie, quod Apostoli in terris quidem, sed cœlesti et divinum a Christo instituentium expectabant, hoc est in Ecclesia (in hac enim quasi in regno suo regnat rex Christus), ac consequenter in ipso regno cœlorum; ad hos enim assurgit Christus, vers. 3, quia Ecclesia militans in terris tendit ad Ecclesiam triumphantem in cœlis, quasi ad regnum sibi a Christo promissum. Maldonatus per eum regnum cœlorum » accipit Ecclesiam, *q. d.* Qui minor, id est humilior est in Ecclesia, hic major est in Ecclesia, ideoque major erit in cœlo. Ludit enim Christus voce « regni cœlorum. » Probat id primo, quia occasio hujus questionis fuit, quod Apostoli ex eo Christus pro solo Petro solverit didrachma, conjecerint Petrum fore caput Ecclesie. Secundo, quia Christus taxat hanc questionem velut ambitiosam; ambitiosum autem est primas expetere in Ecclesia, non autem in cœlo: charitas enim suadet primas optare in cœlo. Hæc sententia est probabilis. Simplicitas tamen accipias proprie ipsum « cœlorum regnum, » ut patet ex eo quod ait: « Nisi iniciamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. » Porro, taxatur a Christo Apostoli de ambitione, quia putabant regnum cœlorum simile esse regno terreno et pompatico, quod per superbiam sæpe ambunt, et per superbiam sui exaltationem, imo

Regnum cœlorum quidlibet

per vim et arma occupatur: dum ergo primas obtenturum suspicarent Petrum, illi ex emulatione et ambitione quadam primas hæc ambiunt, cum per humilitatem primas in eo occupari deberent, uti eos corripiens docet hic Christus.

Ver. 2. Luc. ix, 47; Mar. ix, 36. An parvulus hic fuerit S. Martialis?

2. ET ADVOCAXIT... SYRUS PARVULUM, (Græce παῖδιον, id est puellum; Syrus puerulum), STATUIT EUM IN MEDIO EORUM. — Marcus, ix, 36, addit Christum eum in ulnas accepisse. tutatur puellus hic, ait Jansenius, fuisse S. Martialis, qui postea discipulus S. Petri existens, ab eo prædicandi Evangelii causa in Galliam missus, convertit Lemovicenses, Burdigalenses et Tolosanos, de quo vide Glosam in caput unicum De Sacra Unctione. Sed quia alii S. Martialem constituunt unum e 72 Christi discipulis, ideoque jam tum non puerum, sed natu grandem, non satis certa est hæc traditio. Alii S. Martialem putant fuisse puerum sive juvenem istum, de quo Andreas ait ad Christum: « Ecce puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces, » Joan. vi, 9.

Ver. 3.

ET DIXIT: AMEN DICO VOBIS, NISI CONVERSI FUERITIS ET EFFICIAMINI SICUT PARVULI (SYRUS sicut pueruli), NON INTRABITIS IN REGNUM CŒLORUM. — « Conversi, » scilicet ab hac emulatione et ambitione vestra, quæ saltem veniale peccatum est, ideoque impediens ingressum in regnum cœlorum, et purgatorio prius expiandum.

Patri communiter simplices, innocentes, candidi.

SICUT PARVULI. — Qui communiter non invident aliis, nec ambiunt primas, sed simplices sunt, humiles, innocentes et candidi. Dico communiter; nam S. Augustinus, lib. I Confess., cap. vii, testatur se vidisse puerum sagentem ubera matris, ex invidia expallescens, quod videret colliactaneum suum eadem matris ubera sugere: « Vidi ego, inquit, et expertus sum zelantem parvulum; nondum loquebatur, et intuebatur palidus amaro aspectu colliactaneum suum. » Verum nullus est « parvulus, » qui ambiat regnum vel primas in regno, uti hic ambiabant Apostoli.

Car Christus jubet nos esse sicut parvulos?

Jubet ergo Christus nos esse sicut parvulos, ait Origenes hic: « Ut sicut pueri carent passionibus, sic et nos: sicut, inquit, est parvulus puer ad tristitiam, qui interdum in tempore mortui patris vel matris ridet et ludit, talis fiat vir, habitudinem puerilem, circa tristitias repellendas, perfectioris animæ ratione commutans. Similiter dices circa extollentias, quibus irrationabiliter extolluntur homines qui non sunt Dei, quas pueri non patiuntur, nec qui conversi fuerint sicut pueri. Et nulla pene passio cadit in pueros, antequam absolute incipiant loqui. Si autem nulla, manifestum est, quia neque timor, nisi forte levis et transitorius: pueri enim malum timorem non patiuntur, ut, puta, si quis puero comminetur, ne mammam petat, vel ne ploret, terretur quidem, sed timor ejus stabilis non est. Si quis autem puerum terreat et dicat: Nisi hoc feceris occido te, numquid timet puer? »

Brevius: puerorum dotes fideli cuique imitandas, ita punctim perstringit S. Hilarius: « Ili, inquit, patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt; non insolescunt, non oderunt, non mentuntur, dietis credunt, et quod audiunt verum habent. Reverentium igitur ad simplicitatem puerorum: quia in ea collocati, speciem humilitatis Dominice circumferemus. »

Via ergo in cœlum est humilitas, aditus et ostium cœli est humilitas; quia non nisi per eam patet in cœlum ingressus. Vidit in spiritu S. Antonius totum mundum plenum esse laqueis, ac animas cupientes in cœlum evolare, iis capi, et illaqueatas a demonibus in tartara detrudi. Quare ingemiscens exclamavit: « Domine, quis tot tantosque laqueos evitabit? » atque respondit: « Humilitas hosce laqueos omnes subterfugiet. » Ita S. Athanasius in ejus Vita. Christus, ut zelum ambitionis Apostolorum sancto studio humilitatis, ad eam persuadendam tribus utitur rationibus. Prima est hoc versu, quod ea destitutus nequeat cœlum ingredi. Secunda est, versu sequenti, quod humilitas exaltet, ut si velis fieri major in cœlo, debeas esse minor et humilior in terra. Tertia, vers. 5, quod humilitas sit conformitas Christi, qui se humiliavit infra omnes Angelos et homines, usque ad mortem; ideoque qui humilem suscipit, Christum suscipit. Prima ergo ratio petitur ex pona superiorum, secunda ex premio humilium, tertia ex conformitate humilis cum Christo.

Via et ostium cœli est humilitas. Ita S. Antonius.

Tres similes Christi humilitatis ven.

4. QUICUNQUE ERGO SE HUMILIAYERIT SICUT PARVULUS ISTE, HIC EST MAJOR (SYRUS, sicut puerulus iste, hic maximus est) IN REGNO CŒLORUM. — « Humiliaverit, » ut scilicet humilis sit per virtutem, sicut iste est per ætatem; sive ut sit parvus animo, sicut iste est parvus corpore. Jubet ergo Christus, nos parvulus fieri similes non in insipientia et imprudentia, sed in simplicitate et innocentia, ac proprie et directe in humilitate. Sic et Apostolus, I Corinth. xiv, 20: « Frates, inquit, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. » Causam dat Origenes: « Nec enim magnum aliquid sapere cadit in puerum, neque jactantia generis vel divitiarum. Unde videmus, quod infantes usque ad tertium vel quartum annum, licet fuerint generosi, similes se præbent pueris degeneribus, nec amplius diligunt divites pueros quam pauperes. »

Ver. 4. Luc. ix, 48; Mar. ix, 35.

Moraliter: dices hic paradoxon sapientie Christianæ, nimirum viam ad excellentiam esse contrariam vie mundi, scilicet esse hanc, tendere non ad excelsa, sed ad demissa et humilia. Si vis ergo magnus esse in cœlo, ama in terra nesciri et parvus esse inter homines, ab eisque contemni, negligi et vilis reputari. Si cupis elevari ad primos thronos in Empyreo, demitte te ad imos inferni, ac te colloca sub pedibus Judæ, ut faceret B. Franciscus Borgia; quæ enim minor et

Si vis in cœlum elevari, et una deus esse.

humilior fueris in terra, eo major et gloriosior eris in celo, quia sola humilitas exaltat. *Æterna enim Dei lege fixum sanctumque est: « Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. »* *Lucæ XVIII, 14.* Visa est olim sedes alta et gloriosa inter Seraphinos, et vox audita: « Hæc sedes humili servatur Francisco. » Ita S. Bonaventura in eius Vita. Ratio a priori est, quod humilis profundissime se demittendo, Deum summereveretur honoret et celat: quare meretur ab eo summe exaltari. *¶* *Inde Ecclesiasticus, III, 21: « Magna, ait, potentia Dei solius, et ab hominibus (Græce ab humilibus) honoratur. »* Vide ibi dicta et *Isaia LXVI, 2*, ad illa: « Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos. »

Humilitas ergo grata et honorata est Deo, Angelis et hominibus. Quin et si politico agatur, humilitas ambienda est, quia illa ab omnibus colitur; superbia vero ab omnibus deprimitur. Hinc aulici, licet ambitiosi, se tamen mire verbis et gestu humiliant; sed quia occulta in mente laborant arrogantia difficile est animi factum non prodere vitia, quin per signa et gestus erumpant. Quocirca S. Hieronymus (vel potius S. Paulinus), epist. 14 ad *Celantium*: « Nihil, ait, habes humilitate præstantius, nihil amabilius, hæc est enim præcipua conservatrix, et quasi custos quadam virtutum omnium; nihilque est quod nos ita et hominibus gratos et Deo faciat, quam si vite merito magni, humilitate infirmus simus? Propter quod Scriptura dicit: Quanto magnus es humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. » Porro S. Hieronymus, epist. 43 ad *Antonium*: « Dominus noster, inquit, humilitatis magister, discipulantibus de dignitate discipulis, unum apprehendit parvulus, dicens: Quicumque vestrum non fuerit conversus sicut infans, non potest introire in regnum celorum. Quod ne tantum docere nec facere videretur, implevit exemplo, dum discipulorum pedes lavat, dum traditorum osculo excipit, dum loquitur cum Samaritana, dum ad pedes sibi sedente Maria de celorum disputat regno, dum ab inferis resurgens primum mulierculis apparuit. Satanas autem ex archangelico fastigio, non aliam ob causam, nisi ob contrariam humilitatis superbiam ruit. » Humilitas ergo ex homine facit Angelum, sicut superbia ex Angelo facit diabolum, imo Luciferum. Primum donum, quod ex divini luminis aspectu homini datur, est cognitio sui ipsius, ait S. Dionysius, epist. 7 ad *Timum*, hoc est humilitas. Humilitas enim est virtus qua quis sibi ex sui cognitione vilis est, ac se omnibus inferiorum reputat, sive quod se omnibus viliozem, fragiliorem et miseriores æstimet; sive quod alios majori gratia cæterisque Dei donis pre se datos pio opinetur. Aurea est gnome beati Nili: « Beatus cujus est vita excelsa, spiritus autem tumilis. » Et illa S. Chrysostomi: « Nihil æque

Deo gratum, atque se cum infimis numerare. » Et illa Climaci, *Grada XXVI*: « Omnium terrarum venenatarum sensibillum interceptor est cervus; intellectualium vero humilitas interfectrix est. » Et illa Casarii, *hom. 30*: « Sicut de fonte terreno et de corporali fluvio non potest aliquis bibere, nisi voluerit se inclinare, ita et de vivo fonte Christo et Sancti Spiritus fluvio nequam aquam vivam haurire poterit, nisi se humiliter inclinare voluerit, propter illud quod scriptum est: Deus superbis resistit. » Denique humilitatis speculum S. Hieronymus dat S. Paulam, de qua ita scribit in ejus Epitaphio: « Hæc, sicut inter multas gemmas pretiosissima gemma micat, et jubar solis, ita cunctorum virtutes et potentias sua humilitate superavit, minimeque fuit inter cœnes, ut omnium major esset; et quanto se plus dejiciebat, tanto magis a Christo sublevabatur: latebat non, et non latebat; fugiendo gloriam, gloriam merebatur, que virtutem quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserens appellat contemptores. »

5. ET QUI SUSCEPERIT UNUM PARVULUM TALEM IN NOMINE MEO, ME SUSCEPIT. — « Suscepit, » hospitio, mensa, patrocinio, vel quolibet auxilio aut favore: per suscipere enim hic significatur omne genus beneficii, charitatis et benevolentie; « parvulum talem, » id est qui talis est moribus, scilicet simplicitate, innocentia, et maxime humilitate, qualis hic parvulus est ætate et statura.

Unde *Syrus, Lucæ IX, 48*, vertit *puerum tanquam ætatum*, id est pueru hunc similem, scilicet humilitate et mortuus. Patet ex antithesi versus sequentis; ibi enim pusilli vocantur non tam parvi in fide, ut vult S. Hieronymus, quam vere simplices et humiles; ideoque contempti et abjecti. Ita *Jansenius* et alii. Nota: *Lucas* habet « puerum istum. » Unde liquet Christum loqui primo de pueru vero parvulo, secundo de parvulo mystice, scilicet de humili et abjecto; ab illo enim hunc assurgit, ludit enim in voce « parvulus. » Vide *Canonem 23*. Sensus ergo est, *q. d.* Adeo humilitas, que fundamentum est et mensura spiritualis perfectionis, mihi placet, ut ego etiam pueris parvulus, eo quod humilitatem præ se ferant statura, ætate et innocentia, delecter, uti iisdem ob eandem causam (æque ac agnis, resp. essentiantibus Christum Agnum Dei) delectabatur S. Franciscus; atque velim omnes moos discipulos parvulos effici, parvulos imitari, itaque ab omnibus suspici merentur; cogitant enim homines se in iis me suscipere, quia propter me eos suscipiunt. De me enim prædixit *Isaia, cap. IX*: « Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis. » Similis est de parvulis vox Christi capite sequenti, vers. 14, ubi ait: « Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire, talium est enim regnum celorum. Et cum imposuisset eis manus (benedicendo iis), abiit inde. » Notat S. Hieronymus dici parvulum: « Quia, inquit, qui scandalizatur, parvus est;

maiores enim scandala non recipiunt. » Addunt *Marcus* et *Lucas*: « Qui autem me suscipit, recipit eum qui misit me. » Denique causam adjicit *Lucas*, dicens: Nam « qui minor est inter vos omnes, » id est qui omnium vestrum est humilissimus, « hic major est. » Græce hic *μῆτρ*, id est magnus est, scilicet per excellentiam, hoc est maximus est, scilicet apud me et Patrem meum in regno celorum. « Humilis est, ait S. Augustinus, tract. *De Penitentia*, qui eligit abjici in domo Domini magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. » Hanc Christi sententiam medullitus animo impresserat S. Elisabeth, regis Hungariæ filia, que quotidie nongentos alebat pauperes eisque serviebat, atque ægros horridos, scabiosos, ulcerosos, leprosos suis manibus bluebat, saniem abstergebat, ulcera osculabatur, atque in his officiis exultabat dicebatque: « Quam bene et feliciter nobiscum agitur, quibus Dominum lavare, detergere, reclinare atque contegere permixtum est. » Ita habet *Vita* ejus, cap. XXVI. Addebatque sibi fixum esse, vilissima humilitatis et charitatis officia erga pauperes et infirmos exercere, adeoque, si quod vilis officium aut vite genus sciret, se illico illud amore Christi amplecturam. Par et æqualis S. Elisabethæ fuit ejus matertera S. Hedwigis, Ducissa Poloniæ, de cujus studio in pauperes, miseros et abjectos, mira reperies in *Vita* ejus apud *Surium*, die 13 octobris.

Et S. Hedwigis Ductissa Poloniæ.

Vers. 6. Luc. XVIII, 2. Cor. 12, 42.

6. QUI AUTEM SCANDALIZAVIT UNUM (SYRUS, *offendiculo fuerit uni*) DE PUSILLIS ISTIS, QUI IN ME CREDUNT, EXPEDIT ET UT SUSPENDATUR MOLA ASINARIA IN (DE) COLLO EJUS, ET DEMERGATUR IN PROFUNDUM MARIS. — « Scandalizaverit, » id est, ut Theophylactus, « injuria affecerit, » et, ut Chrysostomus, « despexerit. » Opponitur enim *q. d.* suscepit, vers. 5. Ita *Maldonatus*. Verum præstat cum *Jansenio* scandalum hic proprie dictum accipere: nam ita patet accipi in sequentibus, et sic sat adhuc constat antithesim cum *q. d.* Qui parvulum in nomine meo suscepit, id est in mea fide, pietate, amore et cultu fuerit, ac promoverit, hic me suscepit; qui vero unum ex istis pusillis scandalizaverit, id est pravo verbo, vel exemplo a me, meoque amore et cultu arverit, satus ei foret in mare demergi.

EXPEDIT ER. — Id est, ut habet *Lucas, XVII, 2*, « Utilius est ei, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis; » *q. d.* Præstat mergi in mare, quam scandalizare parvulus in terra, quia morsio est mors corporis, scandalum vero est mors animæ, tam propria, quam aliorum quos scandalizat, et in peccatum inducit. *Matthæus* ergo reliquit antipodoton, sive redditionem: vel alteram partem comparationis, quam exprimit *Lucas*, dicens: « Quam ut scandalizet unum de pusillis istis. » Aliter S. Hieronymus: « Expedit brevem, inquit, quia multo melius est pro culpa brevem recipere penam, quam æter-

nis servari cruciatibus; non enim vindicabit Dominus bis in idipsum. »

Quæres, quomodo hic versus necesse præcedenti, et quid scandalum hoc pertinet ad Apostolos? Respondet S. Hieronymus: « Quamquam generalis possit esse sententia adversus omnes qui aliquid scandalizant, tamen iuxta consequentium sermonis, etiam contra Apostolos dictum intelligi potest, qui interrogando quis major esset in regno celorum, videbantur inter se de dignitate contendere; et si in hoc vitio permansissent, poterant eos, quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum Apostolos viderent inter se de honore pugitare. Quod autem dixit: *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collum ejus*, secunduam riliam provincie loquitur, quod majorem criminum ista apud veteres Judeos pena fuerit, ut in profundum ligato saxo demergeretur. » Mola asinaria est quam in Palestina, ait S. Hilarius et Ambrosius, circa rotam gyrando vertunt voluntque asini; unde *Syrus* vertit, *mola asini*. « Mola » vocatur lapis molaris, uti vertit interpret in *Luca*; hæc vocatur « asinaria, » id est gravis et grandis, « mole que non ab homine (uti fit in minori, idoque frustilli), sed ab equo, vel asino circumagi debet; aut certe intelligitur hic inferior lapis molaris, qui superiore est major, utpote circa quem immotum lapis superior rotatur. Hic enim inferior Græce vocatur *σῆρ*, id est asinus, eo quod instar asini omne superioris onus pondusque sustinet. Sic Hebræi superiorem lapidem molarem vocant *בָּרָר* *rebebe*, id est equitem, quod inferiori lapidi ceu equo inequit. Hic lapis superior Latine *cutillus*, inferior vero *meta* vocatur. Notent hoc clerici et religiosi illi qui inter se de honore et primo loco ambitiose contendunt; hæc enim contentio scandalizat sæculares et laicos, ac clericatus et religionis ingens est dedecus et probrum: expedit ergo eis lapide molari mergi in mare, quam ita contendere cum scandalo populi, ut ait hic Christus (1).

7. VE MUNDO A SCANDALIS. — Arabicus, per *Vers. 7. Luc. XVIII, 1.* *scandala*, *q. d.* « Væ, » id est grandia summaque mala, tam presentia, quam futura ex Dei ira et vindicta imminet hominibus mundi, propter scandala activa, æque ac passiva; qui enim scandalizant alios sua ambitione et pravo vite exemplo, aliosque ad illud sequendum tacite alliciunt, rei sunt gehennæ; qui vero scandalizantur et aliorum prava exempla sequuntur, hi quasi reorum sequaces et socii damnantur, ac sine ultri que placuntur et pereunt. Porro, mundus plenus est scandalis, quia plenus hominibus improbis, aut

(1) Quod supplicii genus apud antiquos haud raro invenitur: Germani mulieres in ablatibus deprehensas in flumen dejiciebant; Romæ, jubente Tarquinio, Hieronimus, proditionis instigatus, ita interemptus est, et Augustus imperator sui filii præceptorem servosque eo supplicio afflixit.

libertinis, impudentibus et cupidis, qui ut suis cupiditatibus satisfaciunt, omnes scandalizant: quare major et potior pars hominum ob scandala damnatur: unde sequitur, «necesse est,» etc. Porro scandala, de quibus proprie Christus hic agit, sunt persecuciones, irrisiones et laesiones iustorum; item mala exempla, doctrinae erroneae, imprudenter dicta aut facta; multa enim sunt in se bona et licita, sed quia importuno loco et tempore coram rudibus indiscrete fiunt, pariunt apud eos offensiones et scandalum.

NECESSE EST ENIM UT VENIAM SCANDALA: VERUNTAMEN VAE HOMINI ILLI, PER QUEM SCANDALUM VENIT. — «Necesse est,» non absolute et ex se, sed ex suppositione. Nam praevisa et supposito tam varia tot hominum indole et corruptione ac horum curiosa levitate, ambitione, cupiditate; illorum pravitate et libera malitia, fieri non potest quin aliquando a nonnullis, imo crebro a multis, saltem indeterminate et in confuso fiant scandala, id est scelera, vel res tales quae alios praesertim pusillos scandalizant. Sic ait Paulus, I Corinth. xi, 38: «Oportet haereses esse.» Sic necesse est in genere et in confuso, ut homo etiam justus sit, quando peccet venialiter, licet singuli particulariter ejus actus sint liberi, non necessarij, ideoque sigillatim singula peccata venialia vitare possit, sed non omnia simul; quia esto in singulis possit adhibere illam attentionem et curam, ut non peccet, tamen impossibile est ut in omnibus simul sumptis illam adhibeat, quin aliquando illam remittat, deficiat, labatur et cessat. Haec enim est infirmitas mentis humanae post lapsum. Sic necesse est ut peritissimus sagittarius, qui certo configit scopum, quoties ei lubet, aliquando ab eo aberret, si saepius et saepius in illum sagittas ejaculetur. Haec est enim fragilitas humana, ut oculi, manus et mens non possint continuare diu rigorem attentionis suae, ut centum continuis vicibus scopum configat, sed necesse sit ut aliquando ab eo aberret.

VERUNTAMEN VAE HOMINI PER QUEM SCANDALUM VENIT, — quia ipse determinate et libere in hoc illove actu particulari improbo vel indiscreto dat pusillos scandalum, itaque graviter peccat reumque se facit gehennae. S. Hieronymus et Beda haec attribuunt Judae, qui summum orbi dedit scandalum, dum prodidit Christum. Verum generalis est haec Christi sententia, quia omnibus qui dant scandalum, vae aeternae damnationis intentat. Docet hic Christus de scandalis tria, scilicet: primo, quantum illorum sit momentum, pondus et gravitas secundo, quanta sit eorumdem copia, et necessitas saltem in genere; tertio, quanta diligentia sint cavenda, unde de tertio hoc subdit:

8. SI AUTEM MANUS TUA, VEL PES TUUS SCANDALIZAT TE, ABSICDE EUM, ET PROJICE ABS TE: BONUM TIBI EST AD VITAM INGREDI DEBILEM VEL CLAUDUM, QUAM DUAS MANUS VEL DUOS PEDES HABENTEM MITTI IN IGNEM AETERNUM.

9. ET SI OCLUS TUUS SCANDALIZAT TE, ERUE EUM, ET PROJICE ABS TE: BONUM TIBI EST CUM UNO OCCULO IN VITAM INTRARE, QUAM DUOS OCCULOS HABENTEM MITTI IN GEHENNAM IGNIS. — Utrumque hunc versum audivimus, cap. v, 30, ubi eum explicuit.

10. VIDETE NE CONTENMIS UNUM EX HIS PUSILLIS, — humilibus et impotentibus, quos mundus quasi viles, invalidos et impotentes, miseros et inopes contemnit; quia, licet ipsi sint invalidi, validos tamen habent Angelos custodes, qui vos apud Deum Patrem, quem semper vident, quasi ejus familiares et intimi, accensent, ac ejus jussu, scandala et injurias ipsis, utpote suae curae a Deo commissis, irrogata acriter castigant et vindicant. Prima haec est ratio, quia probat pusillos et abjectos non esse contemnendos.

DICO ENIM VOBIS, QUI ANGELI EORUM IN COELIS SEMPER VIDENT FACIEM PATRIS MEI, QUI IN COELIS EST. — Ex hoc loco et ex Genes. xlviii, 16, et Act. xii, 15, ac ex communi Patrum traditione doctores docent Christianos omnes, imo homines omnes habere Angelum ad sui custodiam ab ortu usque ad mortem a Deo deputatum. Audi S. Hieronymum: «Magna dignitas animarum, ut unaqueque habeat ab ortu nativitatis suae in custodiam sui Angelum delegatum.» Et inferius: «Salvatorum igitur per Christum orationes Angelique quotidie offerunt; ergo periculosus ille contemnitur, cujus desideria ad veterum et invisibilem Deum, Angelorum famulatu ac ministerio perveniunt.» Idem docent caeteri priscae et recentiorum doctores, quos citat Suarez, lib. VI de Angelis, cap. xvii, num. 8 et sequent., ubi contra Calvinum et Magdeburgenses ostendit temerarium et erroneum esse negare singulis hominibus a Deo dari Angelum custodem, non solum fidelibus et justis, ut videtur sentire Origenes et Auctor Imperfecti hic, sed etiam infidelibus, impiis et reprobis. Unde et Antichristus suum habebit Angelum custodem, ut docet D. Thomas, I part., Quaes. cxliii, art. iv, ad 3. Item Suarez, cap. xviii, num. 7, docet Angelos singulorum hominum custodes ordinari esse ex nono et infimo ordine, qui communi nomine Angelorum nominantur; nonnullis tamen personis eximilis vel dignitate, vel publico officio, uti Apostolis, Prophetis, Patriarchis, Pontificibus, Episcopis, Regibus, custodes dari ex octavo ordine, qui Archangelorum dicitur. Hinc B. Virginis custos fuit Gabriel, quem multi putant esse ex ordine Seraphinorum, uti ostendi in Daniele, cap. ix, 21: Igitur omnes omnino homines (etiam B. Virgo) habuerunt, vel habent Angelum custodem. Exipio Christum, quia is Angelo non eguit, cum humanitatis sufficiens custos esset ipsa ejus divinitas. Habuit tamen Christus semper ad manum plures Angelos quibus quasi administris ad usus quoslibet uti poterat. Ita Suarez. Caute hic legendus est Origenes, qui dicit Angelos custodes subinde in custodia hac per negligentiam peccare,

Ver. 8. Supr. v. 30. Mar. ix, 43 et 44.

Angeli custodes exprime dicitur?

ideoque privari quandoque visione Dei et sua beatitudine; Angelos autem parvulorum semper eos diligenter custodire, ideoque semper fieri Dei visione et beatitudine, et hoc velle hic Christum. Hic enim est error. Angeli enim omnes sunt beati, ideoque immutabiles et impeccabiles. Ad beatitudinis enim rationem pertinet ejus constantia, continuatio et perennitas. «Beatitudo» enim, uti eam definit Boetius, «est status omnium honorum aggregatione perfectus:» ingens autem bonum est beatitudinis constantia, certitudo et securitas; ergo illa in beatitudinis natura includitur.

Porro, munia et actiones Angelorum custodum sunt: primo, pericula tam corporis, quam animae avertere; secundo, suum clientem illuminare, instruere et impellere ad opera bona; tertio, coercere demonem, ne ei pravas cogitationes suggerat, aut peccandi occasiones offerat; quarto, ejus orationes Deo offerre; quinto, pro eo orare; sexto, si peccat, eum corrumpere; septimo, morienti assistere, eumque ad ultimam lucram confortare et variis modis adjuvare; octavo, post mortem animam in caelum deducere, vel si purgatione indigeat, ad Purgatorium committere, ibique subinde eam consolari, donec ea peccata illam ad caelum evehat. Vide Suarez loco citato, cap. xix. Denique officia et beneficia omnia ab Angelis collata hominibus, quae in sacra Scriptura continentur, collegi et recensui Eozdi xxiii, 20 et sequent. Plura vide apud Andream Viorellum, lib. II de Custodia Angelorum, ubi censet summum Pontificem summos Angelos, scilicet Michaellem et Gabrielem habere custodes.

Queres, quid connotat «Angeli eorum,» scilicet pusillorum, qui in me credunt, uti praecessit, aequae ac caeterorum hominum omnium? Respondet S. Chrysostomus notare Angelos non quosvis, sed supremos, quasi parvulorum cura Angelis supremis sit commissa, quod S. Thomas, I part., Quaes. cxlii, art. 3, ad 1, interpretatur de supremis, non in primo et summo Seraphinorum, sed in nono et infimo ordine Angelorum, ita ut in illo supremi sint custodes hominum, mediis sint custodes animalium, infimi vero sint custodes arborum, frugum et plantarum. Huc accedit Maldonatus, qui censet majores esse parvulorum quam aliorum hominum: per parvulos etiam accipit non pueros, sed et humiles et justos, quorum Deum curam majorem, quam aliorum hominum habere, tota Scriptura testatur. Majores autem et honorabiliores esse parvulorum, quam aliorum hominum Angelos ex effectu probat, quia semper vident faciem Dei; non quod alii Angeli eam non videant, sed quod ea phrasi Hebraei significant Deo aliquem esse propinquum et familiarem. Sumpta est enim ex auct. consuetudine metaphora, ubi quo quis honoratur est, eo propinquior est regi, eoque frequentius in ejus conspectu versari solet. Ita

loquitur Regina Saba de servis Salomonis, III Reg. x, 8: «Beati servi tui, qui stant coram te semper, et audiunt sapientiam tuam.»

Secundo, «Angeli eorum» notat Angelos parvulorum, peculiarem eorum habere curam, praeter alios Angelis virorum et sanorum: parvulorum, inquam, tum eorum qui etate, tum qui in fide, tum qui in sorte et conditione sunt parvuli, id est debiles, viles, humiles et abjecti. Hi enim, cum minus valeant iudicio et prudentia, hinc majori Angelorum indigent cura et custodia. Vulgi est axioma: «Infantes et amantes magis ab Angelis custodiri.» Sane nisi Angeli infantium haberent curam singularem, saepius in ignem vel aquam caderent, et a porcis et bestiis lederentur, ab equis et curribus protererentur.

Tertio, «Angeli eorum» vocatur, quasi parvulorum proprii, familiares et peculiaria amici; parvulos enim et humiles mire Angelus anant quasi suos sibi quae persimiles: ipsi enim sunt humillimi, ac sua humilitate vicierunt superbiam Luciferi, dicentes cum duce suo S. Michaelis: מי אנחנו mi an et, id est, quis ut Deus? Multis id exemplis ostendit noster Philippus Berlemon in Paradiso puerorum.

Moraliter: discit hic primo magnam esse dignitatem animarum, ut ait S. Hieronymus, utpote quae Angelos habent custodes; magnam vicissim esse dignationem Dei, qui nobis tam nobiles assignat pedagogos. Ipsi enim sunt de quibus dicitur, Psal. ciii: «Qui facit Angelos suos Spiritus, et ministros suos ignem urentem;» magnam denique esse humilitatem et charitatem Angelorum, qui non pueros ita curant et dirigunt, nec id dedignantur, sed amant et ambiunt, quia vident Deum et Dominum suum hominem factum, ut ait S. Bernardus. Quocirca idem S. Bernardus in Psal. Qui habitat, serm. 12, ad illa: «Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus visis tuis:» «Quantum, inquit, tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet qui adsunt Angeli (sicut eis mandatum est) in omnibus visis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe: tu ne audeas illo praesente, quod videntes me non audeas.»

Rursus cum Angeli satagant nos purgare, illuminare et perficere, par est ut eis obsequentes ad magnam sanctitatem et perfectionem totis viribus contendamus; ut Angelorum vitam et mores emulemur, ut in carne vivamus quasi homines caelestes et Angeli terrestres, utpote mox socii et cives eorum futuri in caelo. Nam, ut ait Apostolus, Ephes. II: «Iam non estis hospites et advenes, sed cives Sanctorum et domestici Dei.» Et Heb. xii: «Accessistis ad civitatem Dei viventis, et multorum millium Angelorum frequen-

Angeli parvulorum cur?

Michaelis Erymon.

Angelo custodes Erymon.

tiam. Quare omnem immunditiam carnis et spiritus, ac praesertim superbiam et lites procul a nobis ablegemus. Nil ita ad indignationem provocat Angelos, atque dissensiones et scandala (uti docet hic Christus): sunt enim ipsi Angeli pacis et edificationis, ait S. Bernardus. « Exhibent enim Angeli iustitiam Deo, pacem inter se, gaudium sibi, » ait idem, serm. 2 *De Verbis Apostoli*. « Non est regnum Dei esca. Velut fumus apes fugat, et foedus odor columbas expellit; sic Angelum vite nostrae custodem abigit, multa lacrymarum aspergine dignum, ac grave olens peccatum, » ait S. Basilius in *Psal. xxxiii*. Rursum: « Angelica plane vita virginitas est, et qui non nubent, neque nubentur, similes erunt Angelis Dei, » ait S. Bernardus, serm. *De Nativitate Mariae*.

Denique cum Angelis nostris crebro in spiritu conversemur et colloquamur. Unde S. Bernardus, serm. 12 in *Psal. Qui habitat*: « Habetote, ait, familiares angelos, fratres mei, et frequentate eos secula cogitatione et devota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam et consolationem. »

SEMPER VIDENT FACIEM PATRIS. — Id est essentiam Dei fulgidam. Angeli vident semper clare sine velo, quasi facie ad faciem. « Angeli, ait S. Augustinus, lib. IX *De Civitate*, cap. xxi, incommutabili et ineffabili pulchritudine (Dei) cuius sancto amore marcescunt, omnia quae infra sunt, seque ipsos inter illa contemnant, ut ex toto quod boni sunt, eo bono, ex quo boni sunt, perficiantur. » Facies ergo Dei est decor et fulgor ipsius divinitatis clare se manifestans et videndum exhibens Angelis; itaque eos bectos efficiens; alioqui Deus proprie, uti non habet corpus, sic nec habet faciem.

QUI IN COELIS EST. — Notant S. Gregorius, lib. II *Moralium*, cap. ii. et S. Bernardus, serm. 5 *De Dedicacione Ecclesiae*. Angelos, etiam dum caelo exeunt, semper videre faciem Dei, quia Deus est ubique; sunt enim beati ubicumque sunt, ideoque ubicumque sunt, in caelis esse dicuntur: ubi enim est Dei visio et gloria, ibi est caelum et paradus. Unde infert S. Gregorius: « Et mituntur igitur et assistunt, quia per hoc, quod eorum scripti sunt, exeunt; et per hoc, quod intus quoque praesentes sunt, nunquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident, et tamen ad nos veniunt; quia et ad nos spiritali presentia foras exeunt, et tamen ibi se per internam contemplationem servant. » Et paulo ante: « Quid enim de his, quae scienda sunt, vesciunt, qui scientem omnia scient? » Non ergo revocantur a custodia humilium ex desiderio redeundi ad Deum, quia a Deo nunquam distraherentur, nec abeunt, sed ubique eum praesentem habent et vident, ac propter Deum et in Deo omnia agunt et parvulos custodiunt. Nam, ut vir doctus ait: « Sic exterius implent ministerium, ut tamen interius nunquam

desint per contemplationem: nam quolibet missi veniunt, intra ipsum currunt, qui ubique est. »

11. VENIT ENIM FILIUS HOMINIS SALVARE QUOD PERIERAT. — Graeco *ἦν ἀπολωθὲν*, id est, ut Arabibus, quod perditum erat, scilicet totum genus humanum Adae patris sui peccato perditum. Est haec secunda Christi ratio, cur pusilli et humiles non sint contemnendi, nec scandalizandi: prima enim petita fuit ab offensa Angelorum, qui pusillos custodiunt. Sensus ergo est, q. d. Ego, qui sum Christus et Filius Dei, tanti facti parvulos et humiles, ut pro eorum salute me summe humiliarim et a caelo me inclinarem usque ad terram, ibique carnem eorum assumpserim: quare eorum salus mihi regis ac Patri meo singulare attulit gaudium, ut patebit ex parabola ovium, quam subijciam vers. sequenti. Cavete ergo studiose, ne parvulos quos ego tanto sudoris et sanguinis mei impendio redemi et salvavi. vos scandalo vestro perlati, alioqui non tantum Angelos, sed et me, ac Patrem meum, hostes et vindices experiemini, quia injuriam et damnum, quod parvulus per scandalum irrogatis, mihi irrogatis. Ego enim parvulos amo ut meos filios, imo ut meos intimos et singulariter electos et dilectos. Illi ergo sunt quasi meum peculium; quod si illud mihi per scandalum admittit et Satana tradidit, ego a vobis hoc damnum, ut meum, repetam et perdit gravius ultor existam.

12. QUID VOBIS VIDETUR? SI FUERINT ALIQUI CENTUM OVES, ET ERRAVERIT UNA EX EIS, NONNE RELINQUIT NONAGINTA NOVEN IN MONTIBUS (ubi de more pascuntur, juxta illud Virgillii: *Virg. Buc. l. x. v. 48.*)

Mille mea Siculis errant in montibus agnae,

ET YADIT QUERERE EAM QUE ERRAVIT?

13. ET SI CONTIGERIT UT INVENIAT EAM: AMEN *Virg. Buc. l. x. v. 48.* DICO VOBIS, QUIA GAUDET SUPER EAM MAGIS QUAM SUPER NONAGINTA NOVEN, QUE NON ERRAVERUNT.

14. SIC NON EST VOLUNTAS ANTE PATREM VESTRUM, QUI IN COELIS EST, UT PEREAT UNUS DE PUSILLIS ISTIS. — Parabola sunt tres partes, scilicet promythium, mythus et epimythium, hoc est, profabulatio, fabula et postfabulatio; sive parabola, parabola et postparabola. Has tres partes est hic videre; parabola enim, sive titulus et argumentum parabola est illud, vers. 11: « Venit enim Filius hominis salvare quod perierat. » Parabola est vers. 12 et 13. Postparabola est vers. 14, ubi ait: « Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in caelis est, ut pereat unus de pusillis istis. » Vide Canonem 97.

Tripliciter haec parabola applicari et explicari potest: primo, generatim de Angelis et hominibus; secundo, particulatim de solis hominibus; tertio, speciatim de solis parvulis.

Primo ergo multi generatim, per nonaginta novem oves pascentes in montibus, accipiunt sanotos Angelos in caelis Deo fruentes, qui nunquam peccarunt; per ovem vero centesimam, que erra-

vit, accipiunt totum genus humanum, quod in Adamo peccavit, quod ut redimeret et in viam salutis reduceret, Christus, relicti quasi Angelis, de caelo descendit in terram factus homo. Ita S. Hilarius, Theophylactus, Anselmus hic, et Gregorius, hom. 34 in *Evangelio*; Cyrillus, *Catech. xv*; S. Ambrosius in *Apologia David*, cap. v; Irenaeus, lib. III, cap. xxi; Origenes, hom. 2 in *Genesis*, et alii plures. Hinc collige quanta sit multitudo Angelorum, quae tantum excedit numerum omnium hominum qui fuerunt, sunt et erunt, quantum nonaginta novem excedunt unitatem.

Dices: Oves haec sunt oves Filii hominis; Christus autem ut homo non pavit Angelos, sed homines duntaxat; imo Christus nee dum erat homo, cum ovem centesimam, id est hominem quaesiturus, in mundum et carnem nostram descendit. Respondetur Angelos esse oves Filii hominis: Primo materialiter, quia sunt oves Filii Dei, qui idem est Filius hominis. Unde in postparabola non nominatur Filius hominis, sed Deus Pater, cum ait: « Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, etc., ut pereat unus de pusillis istis. »

Secundo etiam formaliter; quia Christus, quia homo, est salvator quoque Angelorum, sed non redemptor, uti est hominum: nam Angelis meruit omnem gratiam et gloriam, hoc est, electionem, praedestinationem, vocationem, auxilia omnia excitantia, adjvantia, sufficientia et efficacia, ac denique omne meritum et augmentum gratiae et gloriae. Quare Christus fuit causa meritoria gratiae et gloriae Angelorum, ac vicissim Angeli habere fidem vivam Christi incarnati, atque per eam justificati sunt. Ita Richardus, Albertus, Catharinus, Galanitus et alii, quos citat et sequitur Franciscus Suarez, III *part. Quest. XIX*, disp. 42, sect. 4; licet Paludanus, Durandus, Bonaventura et Alensis contrarium sentiant, scilicet Christum hominibus solis, non Angelis, meruisse gratiam et gloriam. Sic ergo Christus quasi pastor pavit Angelos.

Secundo, particulatim per oves accipi possunt soli homines, sed ita ut iis applicetur tota parabola simul, non autem singulae ejus partes, juxta Canonem 28 et 29. Scopus enim Christi, sive id in quo ipse comparationem ponit et parabolam applicat, duntaxat spectandus est, scilicet, q. d. Sicut pastor ovium quaerit ovem errantem etiam unicam, eaque reperta gaudet, sic et Christus quaesivit genus humanum, eoque reducto gaudium est. Simul tamen proprie et directe intendit, ut pateat ex postparabola, vers. 14, significare suum optimi pastoris zelum, scilicet quod si centum duntaxat essent homines, e quibus unus solus errasset, ipse nonaginta novem relictuus esset, ut illum unicam errantem quaereret. Qua de re pulchra extat visio S. Carpi apud Dionysium Aereopagitam, epist. 8 ad *Demophilum*. Et sic hanc parabolam explicat Christus, *Luc. xv*, 4. Ita Jansenius, Maldonatus et alii.

Tertio, speciatim haec parabola applicanda est pusillis, id est pauperibus, vilibus, rudibus, simplicibus, humilibus, qui pusilli sunt in sapientia, honore et opibus, virtute et prudentia. His enim applicat Christus, vers. 14, et ad pusillos spectant omnia praecedentia; quare pusillos velut oviculum errantem opponit nonaginta novem ovibus non errantibus, hoc est, his qui magna sunt opibus, prudentia, virtute, auctoritate, aut magnos se aestimant: hi enim minus errare et peccare estimantur; solent enim oves pusillae, v. g. agni, utpote simplices et inexperiti, facilius errare, quam oves grandes, quae pastorem et socios intueri et sequi solent. Sensus ergo est, q. d. Sicut pastor habens nonaginta novem oves, si centesima pusilla, puta agnus quis, a grege aberrarit, relinquit nonaginta novem et agnum errantem quaerit: sic Christus eos qui per gratiam suam jam in fide et virtute magis sunt, aut magno se aestimant, quorum ingens est numerus, sibi suorumque curae relinquit. At vero si parvulus quis in fide, virtute et prudentia a via salutis aberrat, eum per se et per suos Angelos, doctores et predicatores quaerit, ut in viam reducat: singularis enim ipsi de pusillis, utpote ab aliis desertis et sibi derelictis, est cura, amor et providentia. Hunc genuinum esse sensum liquet ex dictis et ex eo quod Christus parabolam hanc iterans, *Luc. xv*, 4, ita eam explicet, nisi quod per nonaginta novem oves accipiat justos, per centesimam errantem accipiat peccatorem, hic vero per nonaginta novem accipiat magnos, per centesimam errantem vero pusillos, uti dixi, sed hoc eodem redit; magni enim sunt iusti, pusilli vero sunt peccatores. Ita fere Franciscus Lucas.

GAUDET SUPER EAM MAGIS QUAM SUPER NONAGINTA NOVEN, QUE NON ERRAVERUNT. — Habitu magis gaudet pastor super nonaginta novem ovibus, utpote pluribus, quam super una. Unde si rogaretur: Mavisne perdere nonaginta novem oves, quam solum unam illam errantem, diceret: Nequaquam, malo enim unam perdere, quam nonaginta novem; actu tamen hic et nunc magis gaudet super una quae erraverat, reperta et in viam salutis reducta: tum quia haec nova reductio novum ingensque est gaudium; tum quia pellic tristitiam ex unius perditione conceptam, magis enim sentitur gaudium, quod repente succedit tristitia, cum ipsa tristitia in gaudium vertitur. Id patet quotidiana experientia. Refertur historia Romana matrem, quae moribatur ob necem filii, qui in Cannensi pugna dicebatur caesus, cum repente eum redivivum conspexisset, praegaudio fuisse exanimatam. Sic si viris aliqui vel provincia ab aere vel paganismo convertatur ad fidem, magis ob id exultant, quam de ceteris viribus, aut provinciis jam pridem convertentibus. Novitas enim rei magne et diffideli, praesertim inopinatae, ingens ciet in mente patios. « Ab assuetis enim non fit passio, » ut ait Philoso-

phus. Hæc est quasi tertia ratio, qua Christus per parabolam probat parvulos non esse sperandos.

SIC NON EST VOLUNTAS ANTE PATREM VESTRUM, — id est, sic non est beneplacitum coram Deo, sic Deus non vult, nec placet ei. Est redditio comparationis sive parabolæ, q. d. Sicut pastor non vult, nec sinit perire unam e suis ovis, licet minimam, v. g. unum agnellum, eumque plus curat et querit, quam nonaginta novem magnas et validas; sic et Deus non vult perire unum ex pusillis, sed magis eum curat, quam multos magnos.

SI AUTEM PECCAVERIT (SYRUS, *erraverit*, ut alludat ad ovem errantem de qua sermo præcessit) IN TE FRATER TUUS, VADE, ET CORRIGE EUM INTER TE ET IPSUM SOLUM; SI TE AUDIERIT, LUCRATUS ERIS FRATREM TUUM. — Transit Christus apposite a pusillis ad peccatores, quia hic pusilli sunt, id est viles et abjecti: quid enim vilis peccator et peccator? Sicut ergo docuit non contemnendos esse pusillos, qui scandalizantur, sic nunc docet pariter non contemnendos esse peccatores, qui alios scandalizant et lædunt, nec ulciscendos esse ob illatam injuriam, sed ex charitate corripiendos, ut Dei gratiæ et suæ salutis restituantur. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Dat ergo Christus hoc remedium, quo tollatur scandalum, scilicet correptionem ejus qui scandalum dedit, eoque alios læsit.

VERS. 15. 15. SI AUTEM PECCAVERIT IN TE. — Novatores quidem: « in te » exponunt « te solo sciente, » q. d. Si quis peccavit secreto et privatim, secreto eum corripit: nam publice peccans, publice corripiendus est ad aliorum exemplum. Verum nusquam « in te » accipitur pro « te solo conscio. » Et Lucas, « in te » exponit « contra te. » Ait enim, cap. XVII, 3: « Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: si autem penitentiam egerit, dimitte illi, » scilicet id quod in te, id est contra te peccavit. Sic et intellexit S. Petrus, qui, vers. 21, ex hoc Christi dicto subinfert et querit: « Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? » Alludit Christus ad illud Levit. XIX, 7: « Non oderis fratrem in corde tuo, sed publice argue eum, » q. d. Noli occultum fovere odium et vindictam contra proximum, qui te læsit, sed aperte et palam significa illi te ab illo læsum, ut se emendet, læsionem tollat, tibi que et Deo penitendo satisfaciatur. Unde Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, cap. XXX, hunc locum Leviticus accipit de correptione fraterna, quasi illa Judæis fuerit præcepta.

Dices: Ergo solum in injuriis nobis illatis corripiendus est proximus, non autem in aliis peccatis contra Deum admissis. Respondeo: Nego cons. quantiam, quia per synecdocham Christus sub injuriis nobis illatis, cætera omnia peccata intelligit; nam eadem, imo major aliorum peccatorum est ratio. Si enim corripiendus est proxi-

mus in injuriis nobis illatis, ergo multo magis in cæteris offensis, quibus Deum, quantum in se est, læsit. Magis enim Deum quam nos amare debemus, ac consequenter magis ejus quam nostras injurias avertere. Christus tamen meminit solius peccati contra nos admissi, ut vindictæ frenum injiceret, illique surrogaret charitatem, ex eaque fraternam correptionem, q. d. Si frater, id est proximus tuus quippiam contra te commisit, te offendit et læsit, noli id ex spiritu iræ publicare et vindicare, sed prius amanter et secreto eum corripit; subintellige: Si spes est emendationis, scilicet quod ipse privatim a te monitus, se emendabit et corriget; alioqui si hæc spes non subest, omisa privata correptione, eundem est ad correptionem coram testibus; quod si nec in hac sit spes, denunciandus est Ecclesie, id est pastori, vel prelato: si nec in eo sit spes emendationis, correptio hæc omnino omittenda est et Deo relinquenda. Ratio a priori est, quod sicut charitas me obligat ut succurram proximo in gravi necessitate corporali constituto, sic magis me obligat ut succurram ei in spirituali necessitate, qualis est status peccati et damnationis; hic enim longe peior est statu famis, carceris vel mortis. Porro recte Suarez, II II, *Quest.* XXXIII: Præter spem fructus, inquit, ut obliget hoc præceptum, necesse est ut proximus indigeat mea correptione, quia videlicet probabiliter timeo, nisi corrigam, proximum similia peccata commissurum, vel certe longo tempore et cum gravi damno suo in eo peccato permanurum. Probat, tur quoque hoc est præceptum affirmativum misericordie; ergo non obligat, nisi juxta regulas similitum præceptorum, ergo tantum in articulo necessitatis. Quare S. Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Basilus, Theophylactus, quos citat et sequitur hic Salmeron, tom. IV, tract. 41, pag. 3, qui præceptum hoc correptionis tantum accipiunt de corripiendo eo qui nos offendit, intelligendi sunt, q. d. id expresse duntaxat hic a Christo nominari et præcipi; sed non negant implicite sub una peccati specie, totum reliquum peccati genus subintelligi. Causam dat S. Chrysostomus: « Facilius, ait, sustinet correptionem, qui fecit injuriam, ab eo qui passus est, cum videt eum suam salutem querere et non vindictam, maxime si solus corripit. » Ut hoc plenius intelligatur,

Queritur an hæc correptio sit præcepti, an consilii duntaxat; rursus an omnes fideles obliget, an sacerdotes tantum et superiores? *Primo*, S. Augustinus, Chrysostomus, Hilarius, Basilus, Theophylactus, Michael Medina, Bonaventura, et ex his Salmeron, jam citati, censent correptionem, de qua Christus hic agit, tantum spectare eos qui in nos peccarunt, q. d. Eum, qui te læsit, noli ulcisci, sed amanter corripit, et sic correptionem hanc esse consilii potius quam præcepti. Multis rationibus id probat hic Salmeron, qui caute et

AN ES
AN PRO
CEPTI?
ET QUAE
OBLIGET?
RESP.
PRIMO.

acri oculo hæc est legendus, imo totus perlegendus. Videtur enim, tract. 41, hunc correptionis modum a Christo sanctum convellere, et reprobare quasi inutilem, obscurum et sæpe perniciosum. Verum loquitur ipse ex sententia non sua, sed aliorum citatorum, ut ipse expresse profitetur initio cap. XI. Rursus non convellit sententiam Christi, sed Interpretum et Scholasticorum, qui sententiam Christi extendunt ad omnes omnino casus, ut velint hunc ordinem corripiendi servari in omnibus omnino peccatis et peccatoribus, cum Christus expresse tantum eum sanciat in correptione eorum qui in nos peccarunt. Ostendit enim ipse hunc ordinem sæpe non posse servari, nisi cum pernicie reipublice, ut clare patet in hæresi, quæ et cancer serpit. Idem ostendit Gregorius de Valentia, III, *Quest.* XXXIII, ubi sex casus recenset, in quibus ordo hic a Christo in correptione sanctus servari nequit. Et Suarez, tom. IV *De Religione*, lib. X, cap. VII, ubi fere argumentis Salmeronis utitur, ex hisque docet probabilem esse istorum sententiam, qui dicunt Christum hic tantum sancire, ut illos qui nos læserunt, non ulciscamur, sed fratere corripiamus. Denique Salmeron, tract. 40, communem Interpretum de corripiendis peccatoribus quibuslibet explanationem et doctrinam sequitur, multoque confirmat.

Secundo, Joannes Andrew apud Panormit. in capit. *Novit*, de Judicis, et Armacanus in *Quest. Armenorum*, censent correptionem præcipi sacerdotibus et prelatiis duntaxat; laicis vero et subditis consulti, non præcipi. Favet caput *Sed illuc*, distict. 45, et Glossa in capit. *Si quis peccaverit*, II, *Quest.* I, ubi durum esse dicitur, omnes ad hoc præceptum teneri, quia omnes transgressores ejus constituerent, cum vix aliquis illud servet, exceptis prelatiis. Favet quod Christus mox solis Apostolis dicit: « Quicumque alligeris super terram, » etc. Huc accedit Francis Majoris (videtur legendum Maironis, qui a Parisiensibus Doctor Illuminatus nuncupatur) citatus a Salmerone, qui commentans in lib. I *De Civit. Dei*, cap. IX, ait: « Nunquam est peccatum mortale correptionis omissio, nisi cum eam omittens peccato alterius consentit aut cooperatur. Si autem malum alterius dissimulet, vel in ipso citra consensum delectetur, est veniale. » Verum hoc nimis est laxum.

Tertio, alii censent correptionem hanc solis justis præcipi, quia non congruit, ut peccatorem corripiat is qui eodem aut simili peccato est obnoxius. Favere videtur huic opinioni Abulensis. Verum dico correptionem hic a Christo sancitam non tantum consilii esse, sed et præcepti, ac omnes fideles obligare; nam, licet Christus expresse tantum dicit corripiendos eos qui in nos peccarunt, tamen a pari vult illud extendi ad quoslibet peccatores. Ita passim Interpretes et Scholastici omnes cum D. Thoma,

II p. *Quest.* XXXIII, ac fuse Suarez, tom. IV *De Religione*, lib. X, cap. VII, num. 41. Patet ex *frater*: « frater enim significat quemvis fideliem et christianum, ac potius equalem, quam superiorem. Licet enim infideles quandoque quoque corrigendi sint, tamen Christus hic tantum agit de fidelibus, utpote suis sueque Ecclesie subditis: nam infideles ab Ecclesia non nisi vel excommunicari nequeunt, cum et non subsint.

Ratio a priori est, quia hoc correptionis præceptum tam quoad substantiam, quam quoad modum et ordinem, non tam positivum est et juris divini (utpote a Christo qui Deus, est hic sanctum), quam juris naturæ, connaturale scilicet charitati et gratiæ. Caritas enim exigit ut proximum peccatorem in viam salutis corripiendo reducamus, atque ut pudori (« ne, si semel pudorem atque verecundiam amiserit, permaneat in peccato, » ait S. Hieronymus) et famæ ejus consulamus: primo, secreto; deinde, si id non juvet, coram uno aut altero teste eum corrigamus. Agitur enim hic de correptione non publica et judiciali, quæ ad justam seclerum punitionem ac damni, pro illa reipublice illati, reparationem et satisfactionem refertur; sed de privata, quæ ad proximi peccantis emendationem et salutem dirigitur et tendit. Hanc rationem dat urgetique S. Augustinus, serm. 16 *De Verbis Apostoli*: « Corripit, ait, inter te et ipsum solum, intendens correctioni, parcens pudori. Forte enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, et quem vis corripere, facis peiorem. » Et nonnullis interjectis: « Obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui; nec sinas eum tuo silentio perire. Si solus nosti et vis coram pluribus arguere, non es corrector, sed proditor. »

Quare ut hæc correptio, quæ ex se est odiosa, sit fructuosa et efficax, duo maxime requiruntur, scilicet charitas et prudentia, sive discretio. Charitas, ut is, qui peccat, sentiat correptionem proficiet non ex odio vel fastu, sed ex amore et compassione. Prudentia, ut fiat modeste, leniter, ac eo loco, tempore et modo quo pulsatur is, qui peccavit, eam grato animo accepturus, et se emendaturus, juxta illud Apostoli, *Galat. VI, 1*: « Instruite in spiritu lenitatis, » etc. Sapienter S. Gregorius Nazianzenus, orat. *De Modestia in disputationibus fervore servanda*: « Hanc rationem, inquit, tene, ut partim illum corrigas, idque leniter et humane, non ut hostis, neque ut durus et rigidus medicus, neque ut sectionibus tantum et cauteriis adversus morbum sciens grassari; partim te ipsum accues, infirmitatisque tuæ tibi conscius sis. » Et S. Leo, epist. 84 *ad Anastasium, Thessalonicensem Episcopum*, cap. 1: « Plus, inquit, erga corrigentem agat benevolentia, quam severitas; plus cohortatio, quam commotio; plus charitas, quam potestas. »

Porro, tanta est mutuo nos corrigendi neces-

Charitas et discretio in correptione valde requisita.